

scit generalis Dei concursus, sed specialis quidam exigitur. At
 verò in statu separationis non requiritur specialis Dei concur-
 sus. E. status separationis non est supernaturalis. Major jam
 tum probata est. Minor confirmatur ex eò, quia anima ex natu-
 rà suã ita se habet, ut sine materiã existere possit. E. ad hoc non
 requiritur specialis Dei concursus. (2.) Si animam separatam
 existere à corpore est supernaturale, sequitur, quod natura ani-
 mæ sit supernaturalis. Consequens est absurdum, E. & antece-
 dens. Consequentia probatur, quia cum anima sit spiritus, e-
 jus natura talis est, ut à materiã non dependeat, sed ut sine eã
 existere possit, si verò hæc existentia animæ sine materiã est ani-
 mæ supernaturalis, sequeretur hanc naturam animæ, quã sine
 materiã existere potest, esse supra naturam animæ, quod invol-
 vit contradictionem, esset enim illa natura supra seipsam.

§. 22. Dicendum (2.) est, si naturale sumitur, prout opponi-
 tur violento, tunc status separationis animæ itidem est natura-
 lis, i. e. non violentus. Distingvendum autem est inter separa-
 tionem animæ à corpore in fieri & in factò esse. De separatio-
 ne in fieri hic non est sermo, illam enim interdum violentam es-
 se dubiò caret, veluti cum gladiò, laqueò, suffocatione cogitur,
 quasi anima egredi domicilium, in quò alias diutius habitare
 poterat, & habitasset intuendò præexistentes corporis disposi-
 tiones. Sin verò separatio animæ spectatur in factò esse, violenta
 non est, sed naturalis. Quia enim violentum est, id rei compe-
 tit ab extrinsecò quòdam agente, quod agens si removetur, res
 tendit ad id, ad quod habet naturalem inclinationem, sicut lapi-
 di violenta est persistentiã in aëre, quæ non obvenit ei nisi ali-
 unde, veluti à manureum tenente. Unde & remotã manu, ilicò
 cadit deorsum, non procurante ulteriore agente, sed per impe-
 tum naturæ. Si jam status separationis animæ esset violentus,
 sequeretur, animam extra corpus detineri ab extrinsecò quò-
 dam agente, eòq; remotò animam ex naturã suã redire ad cor-
 pus, ad quod naturalem habet inclinationem, & seipsam corpo-
 ri unire, ex quò deduci tandem poterit naturaliter dari resurre-
 ctionem mortuorum, quod falsum, & in principia fidei impin-
 git. Deinde si status separatus est animæ violentus, sequitur,
 H 3, ipsam